Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35480
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

liceret, ut deo gratias agerent. Propter hanc etiam significationem
in multis locis menstruate uiris commixte foris ecclesiam stare so-
lent, etiam ob hoc penitentes intrare ecclesiam non debent. Linus papa ex
precepto beati Petri constituit ut mulieres in ecclesia uelate sint. Quod
propter tres causas fit. Una est cum sit decipula diaboli, ne laqueis ex
crinibus iuuenum animi illaqueentur. Alia est ne quedam illarum ob for-
mositatem capillorum superbia eleuentur, quedam uero ob deformitatem
illorum despiciantur. Tercia autem est ut reatus originalis peccati, quod per mulie-
rem euenit, ad memoriam nobis reuocet. Iudex quippe malorum
est Christus, sacerdotes eius uicarii. Ante sacerdotem ergo mulier debet se
uelare uelud rea, etiam tanti mali sibi conscia coram iudice se
celare. Unde dicit apostolus: ut mulier uelata sit propter angelos, id est sacerdo-
tes. In ecclesiis etiam non permittitur eis loqui, id est presbyterum alloqui. Et nobis etiam non licet
in ecclesia loqui nisi in ymnis etiam psalmis et canticis spiritalibus, etiam orare
ut coniungamur celestibus. De cimiterio.

Cymiterium quod dicitur mortuorum dormitorium est ecclesie gremium. Que
sicut secundo mortuos de utero baptismatis Christo genuit, ita primo mo-
dum carne mortuos gremio suo confouens eterne uite reddit.
Ecclesie que in modum crucis fiunt, populum ecclesie mundo crucifigi de-
bere ostendunt. Que autem rotunde in modum circuli fiunt, ecclesiam
per circulum orbis, id est circulum corone eternitatis, per dilectionem construi ostendit.

Claustralis constructio iuxta monasterium. De claustro.
est sumpta a porticu Salomonis constructe iuxta templum.
In qua apostoli omnes unanimiter commanebant, etiam in templo ad orationem
conueniebant. Et multitudinis credentium cor unum et anima una
erat, etiam omnia communia habebant. Secundum hanc formam religiosi in
claustro unanimiter degunt, nocte et die in monasterium ad seruicium
dei conueniunt. Et fideles adhuc secularia relinquunt, commu-
nem uitam in claustro ducunt. Porro claustrum prefert paradysum,
monasterium uero Eden, scilicet secretiorem paradysi locum. Fons in loco
hoc uoluptatis est in monasterio fons baptismatis. Lignum uite
in paradyso est corpus domini in monasterio. Diuerse arbores fructife-
re sunt diuersi libri sacre scripture. Secretum etiam claustri gerit